IN LAVDEM

JACOBI ANTONII COLLI

EPISCOPI ALEXANDRINI ET COMITIS

AB ELEEMOSYNIS AVGVSTISSIMI REGIS N.

TEMPLVM SVVM MAXIMVM

XIII CAL. NOVEMBRES AN. MDCCCLXVII

PRIMVM SOLEMNITER ADEVNTIS

ORATIO

HABITA

AB JOSEPHO MAINERIO

CAN. PŒNIT. ATQVE EXAM. PROSYNOD.



Alexandriæ. Ex typis Gazzottianis et C.

PONTIFEX PRÆSTANTISSIME

Vehementer per omnem diœcesim dolebat pastore orbata Alexandrina Ecclesia, maxima cum sollicitudine expectans auspicatissimum illum diem, quo Deus misericors Antistitem juxta ac consolatorem sibi tribueret atque concederet. Etsi enim, ex quo doctissimus ille Episcopus Dionysius Andreas Pasius, decessor tuus, migravit e vita, sacrarum regimen rerum præstantes atque optimi viri vicaria potestate obtinerent, proprii tamen ac perpetui pastoris desiderium identidem nostros omnium animos urgebat atque agitabat. Quamobrem tredecim prope annos nullo die prætermisimus supplices manus ad cœlum tollere, spe numquam dejecti, futurum esse, ut precationes nostræ tandem aliquando exaudirentur; sed (proh dolor!) peccatorum nostrorum multitudo et temporum difficultates consolationem hanc nostram diutius distulerunt, quam sperabamus. Nihilominus quum omnia in terris ad majorem hominum utilitatem contingere soleant, Deus tandem nostros levaturus labores moram tam diuturnam eximia tui electione largissime compensavit.

Lætare igitur atque exulta, Alexandri III inclyta filia, exue lugubres vestes, et circumda tibi indumenta jucunditatis atque lætitiæ: ecce demum coram tuum habes Episcopum. Pius enim IX, prudentissimus Pontifex Maximus, collatis cum augustissimo Rege nostro Victorio Emmanuele consiliis, in clarissimum sacerdotem JACOBVM ANTONIVM COLLIVM oculos suos conjecit, cumque nostrum constituens Episcopum vota omnium plenius uberiusque complevit. Itaque Deo gratiæ agantur quamplurimæ, quod non modo Episcopum nobis donaverit, sed Episcopum numeris omnibus absolutum, nobisque maxime accommodatum.

Scio equidem, me tum propter ingenii exiguitatem, tum propter nullam prope latini sermonis exercitationem tanto viro dicendo omnino imparem esse; et simul fateor, huic me gravissimo oneri fuisse subtracturum, nisi compertum habuissem, longissima consuetudine hoc munus ob officium, quo fungor, hisce in adjunctis ad me pertinere (1). Amplissime igitur Præsul, qui jure optimo splendidissima infula late refulges, Collegæ mei spectatissimi, qui novo Pontifici adsidere gloriamini, insignia hujus urbis Canonicorum Parochorumque collegia et ceteri Sacerdotes, qui haud parvum sacris hisce solemnibus decus additis atque splendorem, humanissimi item cujusque ordinis Cives, qui tantæ lætitiæ participes fieri voluistis, vos omnes oro atque obtestor, ut me quomodocumque dicentem audire æquo animo patiamini: etenim si minus eleganter atque eloquenter, at certe sine fuco et verissime dicam.

Deus Opt. Max., sapientissimus humanarum rerum curator, si quem ad egregium aliquod perducere decreverit,

Carolo Aloisio Card. Morichinio
Episcopo Aesinatium
Josephus Mainerius
Canonicus admissis poenitentium expiandis
In templo maximo Alexandrino
S. P. D.

Accipe, quas dixi tanto pro nomine, laudes,
Et memor o semper, te precor, esto mei!

Alexandria, IV Id. Novemb. an. MDCCCLXVII.

eo statim a vitæ primordiis illum dirigere, atque in dies propius admovere consuevit. Complura hujus rei in sacris libris habentur exempla, quæ, quum omnibus nota sint, in medium proferre me arbitror non oportere. Id autem Nostro accidisse præclaram ejus vitam vel leviter percurrenti luculenter patebit. Transacta enim pueritia primaque adolescentia in humaniorum literarum reique philosophicæ studiis, in quibus inter primos æqualium suorum meruit haberi, jam inde facile conjici potuit, illum ad Episcopalem dignitatem serius ocyus esse evehendum. Quid poterat, quæso, ad hoc illi aptius contingere, quam statim domum admitti doctissimi et sapientissimi viri Cardinalis Morozzi, clarissimi Novariensium Episcopi? Namque, ubi primum Noster nulla alia re adductus, quam perfectius Deo vacandi et salutis animarum promovendæ desiderio, sacræ militiæ nomen dedit, prudentissimus ille vir Clericum sibi illum adscivit, qui ex suo latere numquam discederet. Nec mirum cuiquam debet videri, tanto eum honore cd fiducia ab Episcopo suo cumulatum fuisse. Erat enim in illo adolescente candida indoles, singularis morum integritas, acris ingenii acies, atque ingenua erga omnes urbanitas et comitas, ut quotquot eum cognoscerent, atque aliquam cum illo consuetudinem haberent, præclaras ejus virtutes vehementer admirarentur, et magnum aliquid jam tum de eo portenderent. Quantum autem sub tanto magistro profecerit, haud facile dictu est. Etenim, dum illa in domo versaretur, simulque rei theologicæ studiis incumberet atque ad pietatem informaretur, ex illius sanctissimi viri pectore, ut Joannes Apostolus e pectore Christi Domini, hauriebat inscius quidquid ad munus episcopale bene feliciterque obeundum pertineret; hauriebat in negotiis gerendis pru-

dentiam, fortitudinem in injuriarum contemptu, charitatem cum severitate conjunctam in peccatoribus corrigendis; hauriebat in ærumnis perferendis patientiam, in prædicatione verbi Dei constantiam, in omnibus temperantiam ac sobrietatem; hauriebat uno verbo virtutes omnes, quæ optimum decent Episcopum.

Dum autem hæc penes spectatissimum virum, quem supra honoris caussa nominavi, tacite sapienterque a Nostro geruntur, Rex ille piissimus Carolus Albertus, quum persuasum haberet, ad bonum societatis civilis plurimum conferre Religionem, optimo consilio sacram instituit ad Supergam Academiam, quæ esset per omne regnum Pontificum seminarium. Eo mittebantur ab Episcopis, ad quos pertineret, quarto quoque anno ecclesiastici viri, quos tum ob ingenii acumen, tum ob morum innocentiam certa spes affulgeret, maximum diœcesibus bonum in Episcopali officio tandem aliquando esse allaturos. Jam vero, quem poterat Novariensis Antistes tanto muneri ducere aptiorem, quam Nostrum, qui, quamquam propter ætatem nondum esset sacerdotio initiatus, tamen ingenii fama, doctrinæ copia, vitæque integritate sodalibus suis longe præstabat? Ad illam igitur mittitur Academiam, ut cum aliis non minus ingenio virtuteque præclaris alumnis ex omni regno illuc confluentibus per studia graviora aptioresque exercitationes ad rem propositam in dies propius accederet. Quanta vero varietate doctrinæ animum illic imbuerit, quantumque in solida pietate processerit, facilius mente concipi, quam verbis exprimi posse arbitror. Re enim vera numquid ibi desiderabatur, quod cum ad acuendum ingenium, tum ad pietatem fovendam esset idoneum? Nihil plane; immo omnia erant aptissima. Etenim, si disciplinas perpendimus, quæ magno

in honore habebantur, quænam deerant, quæ Sacerdotes numeris omnibus cumularent, atque ad majora suscipienda idoneos redderent? Ibi enim, ut aliquid dicam, præter res theologicas universas, quæ diligentissime tradebantur, non omittebatur accurata juris præsertim pontificii explanatio; evolvebantur diu noctuque tum sacra Biblia, tum optimi cujusque sæculi Patres, qui ea vere sapienterque exposuerunt; neque literas cum nostrates, tum exteras, splendidissima doctissimorum hominum decora atque ornamenta, ibi arbitror fuisse neglectas. Si oculos vero ad magistros convertimus, ibi procul dubio sedisse videmus collectum undique florem doctorum, qui cum summa rerum omnium eruditione miram dicendi facultatem perspicuitatemque conjungerent. Si demum sacras animadvertimus exercitationes, quibus alumni illi ad pietatem informabantur, sive materiem, sive frequentiam spectemus, nihil profecto reperimus, quod concinnum non esset, nihil quod non opportunum, nihil quod ad animi perfectionem non omnino conduceret.

Hoc igitur Noster præclaro loco receptus, dici nullo modo potest, quanto studio, quanta animi contentione, quot laboribus, quotque vigiliis ad metam properaverit. Atque, ut a pietate incipiam, sine qua cetera omnia vere sapientibus sordent, nihil umquam prætermisit, quod animum suum magis magisque expolire atque exornare valeret. Quo factum est, ut omnium virtutum semina penitissimo ejus pectore ita inhæserint, ut nullo umquam tempore dimoveri loco ac labefactari potuerint; immo, volventibus annis, altiores radices egerint, atque, ut ita dicam, immensum creverint. Quod autem ad scientias præsertim sacras attinet, nihil est quod dogmata respiceret, quod ille non inspexerit, nihil quod ad disciplinam pertineret, quod ille non didicerit,

nihil quod mores spectaret, quod ille non attigerit. Numquid verbis rem augeo? Dicant ii, dicant, qui non modo disputantem illum audierunt, dum in R.° Taurinensi Athenæo ad lauream theologorum contenderet, verum etiam præconia plaususque exceperunt, quibus ipsum egregii illi doctores sunt prosecuti. Quid de jure dicam potissimum pontificio? Haud equidem fallor pro certo affirmans, nullam eum immensi illius juris partem reliquisse sibi incompertam, immo tanta ejus addiscendi cupiditate incensum fuisse, ut in illo evolvendo noctes pene totas sæpenumero insumeret. Omnibus enim æqualibus suis hujus scientiæ peritia illum antecelluisse sodales ipsi sunt testes, qui tantam hac in re præstantiam illius sunt demirati. Quid de philosophicis denique eloquar disciplinis? Satis sit mihi dicere, omnes illum philosophorum, præsertim recentiorum, doctrinas tanto studio expendisse, tantoque acumine simul comparasse, ut, quæ tenendæ quæque respuendæ essent, prudentum judicio discrevisse credatur.

Sed hæc omnia, quæ hactenus audistis plane optimeque Nostrum callere, quæque aliis fortasse temporibus eruditissimo cuique satis superque fuissent, nequaquam sibi sufficere censuit ætate hac nostra, qua scientiæ nihili aut parvi habentur, nisi politioribus artibus excolantur et pene condiantur. Itaque toto etiam animo incubuit, non dicam literis italicis et latinis, in quibus quam egregius sit, nemo nostrum ignorat (2), sed græco sermoni atque hebraico sedulam operam dedit, quum minime illum lateret, duas hasce linguas, dum magnam illarum peritis apud omnes pariunt existimationem, non minori præterea esse adjumento ad germanam sacrorum Bibliorum interpretationem atque intelligentiam: quam esse maximam Episcopis lau-

dem nemo sapiens inficiabitur. Nec mirum, tanta eum doctrina, tamque peregrinis cognitionibus exornari per illud tempus potuisse, quo in illa Academia commoratus est. Aliterne fieri potuisset? Minime gentium. Obstabat enim tranquillitas loci magistrorumque peritia; obstabat librorum optimorum copia et cetera omnia studiis opportunissima; obstabat demum (quod maximum est) ingenii vis ingens, qua præditus erat, atque ardor discendi, quo mirum in modum flagrabat.

Talibus Nostrum apprime instructum haud diutius illic latere decebat. Quare post quatuor annos diœcesi suæ redditus, ut, quæ in Supergensi illo silentio perceperat, in Novariensium utilitatem expromeret, statim super candelabrum magno bonorum omnium gaudio collocatus est, ut ejus lux in Christi Ecclesia longe lateque fulgeret. In supremum igitur Canonicorum collegium relatus, mox ex illo sublimi loco per novam seriem laborum ostendit, quanta sapientia ad nobilissimum officium contenderet. Nam probe conscius, unumquemque pro se ad bonum Ecclesiæ studium omne conferre oportere, satis non habuit debitas Deo laudes in templo persolvere, bonumque exemplum vitæ sanctimonia præbere; sed assidua munerum sacerdotalium exercitatione devios ad Christum reducendos curavit. Quapropter in concionibus sacris, quas sæpenumero habuit, totus erat, non ut aures audientium demulceret, sed ut corda movendo ad bonam frugem eos tandem perduceret. Ad hanc rem modo virtutis pulchritudinem oculis adstantium tanta specie subjiciebat, ut illius amorem inspiraret, modo tanta vi atque impetu in vitia insurgebat, ut odium horroremque in eorum animis vehementer cieret. Itaque nihil mirum, si tot peccatores potenti ejus facundia commoti, pars simultates deponere,

et male parta reddere, alii malorum irritamenta tollere, et vitiorum cœnum relinquere videbantur. Quos omnes paterno ille affectu complexus, verbisque amicis solatus a culpis omnibus rite solutos cœlo feliciter conciliare gaudebat. Prætermitto impensissimum studium, quo erga illud etiam infelix hominum genus ferebatur, qui in remotissimis terræ partibus adhuc in umbra mortis versantur. Quum enim præfectus fuisset promovendis colligendisque per universam Novariensem diœcesim largitionibus, quæ in eorum salutem impenderentur, quis dicere ausit, quantum beneficentissimis illis Institutis, quorum alteri a *Propagatione Fidei*, alteri a *Sancta Infantia* nomen est, attulerit incrementum, quum illud tam nobile officium triginta annos summa solertia atque integritate exercuerit? Quanta demum fuerit in pauperes charitate, dicant non ii modo, qui communi laborabant victus penuria, verum etiam ii potissimum dicant, qui rerum copia dejecti tabescebant per domos; omnium enim pro fortunis suis tacitus sublevabat inopiam. Tot autem tantorumque egregie factorum fama intra fines diœcesis Novariensis se se diu non continuit, sed longe lateque diffusa ad solium tandem pervenit munificentissimi Regis nostri Caroli Alberti, qui, ut tam egregium et bene merentem virum sibi acceptissimum esse quodammodo testaretur, privatarum largitionum magistrum illum creavit.

Jam vero, si pietate fuit Noster insignis, non minus emicuit rerum præsertim sacrarum peritia. Quum enim illi munus esset mandatum tradendæ alumnis sacri ephebei Novariensis historiæ ecclesiasticæ, brevi tempore patefecit, quanta ipse doctrina polleret. Etenim non nudam solum eventuum narrationem exponebat, verum etiam eorum

caussas, adjuncta, consecutiones, et nexus cum aliis eventibus tanta cum eruditione aperiebat, ut ejus auditores non modo historiam penitus addiscerent, sed et aliis simul plurimis cum sacris tum profanis cognitionibus pleniore haustu imbuerentur. Hic autem vehementer sane dolendum est, paucos post annos ab hoc officio illum desistere, immo egregium opus de historia ecclesiastica imperfectum relinquere justis caussis debuisse, quæ historia, si ad nostra hæc tempora fuisset deducta, in magnam non dico Novariensis, sed totius Ecclesiæ utilitatem cessisset, quemadmodum ex iis, quæ de primis octo sæculis in lucem edidit, doctissimi viri feliciter argumentantur.

Sed, quamquam hæc præclara in christianam rempublicam merita Episcopali illum munere dignissimum facerent, tamen Deus Opt. Max. eum etiam sacri regiminis parte illa antea instrui voluit, unde omnia bona exoriuntur. Quamobrem omnibus sacris ephebeis præficitur, quæ in amplissima Novariensi diœcesi passim excitata sunt, ut ibi optimæ spei adolescentes, qui in sortem Domini essent vocati, liberalibus studiis, sacrisque potissimum disciplinis commodius pleniusque instruerentur. Quantum autem prudentiæ in illo munere, quod quatuor annos diligentissime explevit, adeptus fuerit Noster, nemo est, qui non videat. Nam, quum ad ea loca sæpius accederet, tum ex accurata investigatione, tum ex candido cum iis adolescentibus colloquio facile plenissimeque omnia percepisse credendus est, quæ ad bene instituendos tirones magis conferre existimantur. Quem autem lateat, bonum universæ diœcesis optima Clericorum educatione omnino contineri? Ii enim, ubi primum fuerint ad sacerdotium promoti, per omnem effunduntur diœcesim, ut sacro munere quisque sibi com-

misso in plebium utilitatem commodumque fungatur. Quis igitur non plausisset, si jam tum, ut erat numeris omnibus absolutus, nedum ad Archidiaconatum Novariensis Ecclesiæ, quemadmodum revera contigit, ad Episcopalem cathedram, si licuisset per tempora, fuisset evectus?

Sed tandem illa lux tamdiu expectata effulsit, atque inter ceteros etiam Noster renuntiatur Episcopus. Sed cujus Ecclesiæ? Infinitam, quæso, in hac electione Dei bonitatem admiramini. Illius Ecclesiæ nimirum, cui sit accommodatior. O nos igitur terque quaterque beatos, quibus ille singulari Dei beneficio donatus est! Namque, si non est dubitandum, quin omnes eximiæ virtutes, quibus illum novistis fulgentem, vim suam ubique gentium exeruissent, quid dicendum, si loco non ignoto admoveantur? Sed quid inquam, non ignoto? immo cognito, immo suo? Quis enim nescit, Nostrum, quamquam in urbe proxima Casalensi primos vagitus ediderit, ad hanc urbem tamen verius pertinere, quum ejus parentes et paullo ante et paullo post illius ortum domicilium hic Alexandriæ habuerint? Quis nescit, hac in urbe eum infantiam pueritiamque transegisse, elementa literarum scientiarumque, quibus nunc maxime pollet, a patribus nostris accepisse? Quis tandem nescit, non modo illum inter cives nostros esse adnumerandum, verum etiam alio præclarissimo nomine revera nostrum esse civem? Majores nostri, ut gratum animum optimo ejus parenti ostenderent ob tot tantaque beneficia, quibus ab eo fuerant cumulati, dum maxima cum integritate hic Alexandriæ præfectura fungeretur, non modo illum civitate donarunt, verum etiam, quum generis simul nobilitate niteret, communi omnium consensione et lætitia inter indigenas patricios adlegere gloriati sunt. Quid plura?

intra hæc mœnia adhuc vivit (quis credat?) gloriam filii visura mater ejus Camilla ex nobili gente Galvania Novariensi, tum ætate nonaginta prope annorum, tum omnibus christianis virtutibus, quibus per omnem vitam spectatissima fuit, veneranda matrona. Jamvero, si patriæ amore ad ardua capessenda et mira patranda impelli homines consueverunt, quot et quanta a Nostro expectanda nobis non sunt beneficia, qui tot tamque arctis vinculis tanto viro jamdiu devincti sumus? Quis poterat ideo accommodatior Episcopus Ecclesiæ præfici Alexandrinæ?

Salve igitur, salve, dignissime atque accommodatissime Antistes, ne amplius, quæso, cuncteris aggredi officium, quod adeo manifestum est, tibi fuisse non humano consilio, sed divinitus traditum. Quid sunt ingentes illi metus, quibus fuisti perculsus, quum tibi nunciatum est, Episcopum te designari (3)? Quid ille animi mœror, quo te ego accepi ita fuisse affectum, ut procul dubio honorem hunc detrectasses, nisi ex eminentissimi et clarissimi viri literis (4) comperisses, illam demum esse firmissimam Romani Pontificis voluntatem, cui resistere nefas? Onus quidem (quis negat?) suscipis gravissimum, Angelicis etiam humeris formidandum; sed non est, quod timeas: omnia enim habes, quæ in Episcopo requiruntur: idoneo autem et vocato a Deo, tamquam Aaron, nihil deerit umquam. Quare quum omnia per te ipse cognoscere et facere haud valeas, non pauci tibi additi sunt operarii, qui in vinea Domini excolenda, te duce, operam suam sedulo impendent: tibi additus est præsertim amplissimus hic Senatus, qui latere tuo semper inhærens tum opere, tum consilio tibi præsto erit, quandocumque opus fuerit, ut hæc fortunatissima Ecclesia, te auspice atque auctore, magis magisque augeatur et floreat.

Ceterum omnes tecum in omnibus levabimus oculos nostros ad illum, qui misit te. Ipse adjuvabit atque perficiet, quæ non poterit humana infirmitas. Cœlites insuper medios adhibere non omittemus, Immaculatam in primis Virginem Matrem, cui nomen apud nos a *Salve* dulcissimum, quamque nos præsentissimam semper experti sumus, Apostolorum principem Petrum, cui tuum hoc templum dedicatum est, et Baudolinum, custodem tutoremque universæ diœcesis. Hi nostras Deo deferent preces, quibus faciles eum aures præbiturum esse speramus.

Itaque macte animo et sine jam, ut venientem in nomine Domini te læti ovantesque excipiamus, tibique magnopere gratulemur. Ampliora votis præter omnium expectationem retulimus; in te enim non modo Pontificem sapientissimum, verum etiam amantissimum adepti sumus parentem. Nihil umquam, præsente te, nobis posthac defuturum esse confidimus. Tu eris stella fulgida, quæ in hoc pelago tenebricoso navigantes nos diriget; tu portus salutis, quo huc illuc tempestatibus acti tuto nos recipiemus. Tu demum eris spes nostra, tu nostrum gaudium, tu vita nostra, tu omnia omnibus. Sic te ad multos annos nobis sospitet Deus.

Post hanc orationem Episcopus in Homilia, quam statim ad populum habuit, Oratori respondens, supremo Canonicorum Ordini de gratulationibus sibi factis ceterisque omnibus gratias egit quam maximas.

ADNOTATIVNCVLÆ.

(1) Pertinet ad Can. Pœnit., vel Can. Theol., ad priorem scilicet tempore.

(2) Id omnes novimus ex duabus primis Episcopi epistolis pastoralibus, quarum altera latino sermone conscripta data est V id. jun., altera italico data est postr. non. sept. hujus anni.

(3) Vide epist. lat., de qua supra.

(4) Ex lit. Card. Antonelli, ad quem Noster confugerat, ut cum Pio IX id ageret, ut ipse ab accipiendo Episcopatu eximeretur.

Vis. Alexandriæ 22 octobris 1867
Can. COVA Vic. Gen.

Alexandriæ, ad templi maximi januam,

XIII cal. novemb. an. MDCCCLXVII.

ADESTE · CIVES

EXVLTATE · GRATVLAMINOR

JACOBVS · ANTONIVS · COLLIVS

EPISCOPVS · VESTER

SINGVLARI · IN · DEVM · PIETATE

INSIGNI · IN · PAVPERES · BENEFICENTIA

MIRA · SCIENTIARVM · LINGVARVMQVE · PERITIA

CLARISSIMVS

DE · RE · CHRISTIANA · LIBRIS · EDITIS

OPTIME · MERITVS

ECCLESIAM · ALEXANDRINAM

LONGIORE · ORBITATE · LABORANTEM

ADVENTV · SVO · AVSPICATISSIMO

SOLATVR · SVBLEVAT · ILLVSTRAT

DIV · PRECATI · VT · DARETVR

VT · DATVS · DIV · SERVETVR · PRECAMINOR

Idem JOS. MAINERIVS.